



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ
Deuotæ**

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

In facie imago intellectus primæ animæ facultatis adumbrata. Colloquium
L.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

*Arca
Noe se-
cundum
proportio-
nem cor-
poris hu-
mani a-
dificata.*

S. Amb.

l. de Noe.

S. Aug. l.

15. civ. c.

26 & l.

12. cont.

Faust.

Manich.

** Gen. 6.*

T H E O.

*Oculi
imagines
Intelle-
ctus.*

*Quod o-
culi in*

se in Tabernaculo* Moysis, observa-
tum in templo Salomonis, & in ple-
risque alijs structuris veteris Testa-
menti insignioribus & celebratis.
Ecce tibi iam nunc itaque effigiem
animæ multò quam floridissimam
in facie studiosissimè delineatam;
nunc tempus admonere credo vt de
facultatum imagine etiam dicen-
dum esse aliquid videatur.

*In facie Imago Intellectus prima ani-
mæ facultatis adumbrata.*

COLLOQVIVM L.

NAE tu verò Creatorè illum
& Architectum, ingenio-
sum admodum, vt ita di-
cam, fuisse arbitraris, qui in facie
non modo animæ imaginem specio-
sissimis colorum luminibus deli-
nearit, sed omnes etiam facultates
eius quam accuratissimè in illa ad-
umbrarit? quid tu enim oculos a-
liud repræsentare putas quam In-
tellectum? Idem enim vtriusque ad-
modum officium est, & quod iste in
anima præstat, hoc illi in corpore
studio-

studiosissimè exequuntur. Per in-
 tellectū spiritualia contemplamur: *corpore,*
 per oculos corporea intuemur. Per *id intel-*
 Intellectum Deum videmus, Solem *lectus in*
 & lucem incomprehensibilem, & *anima*
 Angelos instar stellarū ab eo lucē *facit.*
 suam mutuantes: oculis solem mun- *Arist. 1.*
 di huius visibilem, & minores ignes *Top. c.*
 corporeos, qui illius lumine lucent, *14.*
 intuemur. Et quemadmodū Intelle-
 ctus spiritualis est, ac quam maximè
 à corporis contagione secretus, in-
 signis potentia & viuacitatis: tota-
 liter enim res omnes videt atque in-
 telligit; ita oculus perfectissimum
 illius specimen, omnium sensuum,
 si quantitatem spectes minimus est:
 si vim, si virtutem, si facultatem;
 iam omnium maximum & actio-
 nibus quibuscunque accommoda- *Arist. 1.*
 tissimum, eum esse inueniemus: v- *1. Met.*
 sa est reuera singulari prorsus ar- *c. 1.*
 tificio natura illa omnium pa-
 rens, cum visum, cum oculum fa-
 brefecit, cum eam partem archi-
 tectata est, à qua radij & scintil-
 læ illæ, quæ nobis prælucent,
 proficiscuntur; ea enim nec
 lente

*Obiectū
visus ma-
ximum.*

*Auditus
ianitor
scientia-
rum.*

lente maior est, nec acus caput ex-
cedit, & tamen (quis non admire-
tur, quis non obstupescat?) obit illa
vastum illud cæli volumen & ra-
diorum suorum vi vniuersum per-
currens, longè se maiorem imagi-
nem recipit & figuram apprehen-
dit: penetrat illa momento tempo-
ris totum hoc quod inter cælum ac
terram spatium relinquitur, & in-
star scintillæ confestim sursum e-
micantis corpora diuersissima trāf-
currit, non aliter quam intellectus
corporalis aliquis, contra omnium
reliquorum sensuum naturam, quo-
rum dominium exiguis limitibus
clausum pedis mensuram non ex-
cedit: tactus enim quatuor solum
primas qualitates habet, videlicet
calidum, frigidum, humidum & a-
ridum: gustus sapes: odoratus o-
dores: aures sonum. Adde quod om-
nes isti sensus, & eorum actiones
plurimum terrestres sunt, & ipse
auditus, qui sensus admodum cate-
roqui spiritualis est, à Philoso-
phis scientiarum Ianitor appella-
tur, tardus & segnis plane est in ob-
iectis

iectionis suis arripiendis, si oculi leuissimam consideres pernositatem. Patet hoc ex tonitribus quorum terribiles mugitus & horrendi fragores, ipsum lumen ac fulmen praecedunt, & tamen oculus, quae illius agilitas & velocitas est, longe ante lucem conspicatur, quam tonitru ad aurium sensum deferatur, quod tamen prius coortum, ratio testatur & natura ipsa confirmat: iam in tormentis bellicis, in balistis, ac similibus instrumentis, in verberibus etiam quae eminus infligi videmus, idem fieri contestatum est. Haec ergo iam nunc causa est, cur oculus sedem in facie omnibus sibi altiore & sublimiorem delegerit, quippe qui dignissimus est, & animae familiarissimus, & ut ita dicam necessarius. Et quia ad viuum Intellectum representat propter eam quam diximus correspondentiam, illud etiam efficitur ut imago illius sit, & saepenumero suum ipsi nomen impertiatur. Cum David Deo precibus sollicitaret, *Psalms.*
 quatenus sibi oculos clauderet ac *18. 18.*
 obseraret, quo expeditior & ex-

P cita-

Arist. l.
de sensu

c. 1.

Arist. l.
2. meteo.
cap. 8 de
mundo
c. 13.

citator ad legem illius contem-
plandam efficeretur, quis non vi-
det, animæ eum oculos seu Intelle-
ctum intellexisse? Iam cum in Ge-
nesi de Adamo & Eua dicitur, quod
eorum oculi aperti nuditatem suam
conspexerint, nihil minus dicitur,
quam, quemadmodum D. Augusti-
nus ait, ante hac cæcos eos extitisse,
aut oculos ne viderent compressis-
se: sed quod nuditatem suam inte-
riorem conspexerint, prinationem
iustitiæ originalis cognouerint, &
animas suas gratia diuina, non ali-
ter quam corpus vestimentis aduer-
terint esse spoliatas. Non intelli-
gebant illi turpitudinem peccati,
priusquam id fuisset designatum;
quod indies adhuc peccatoribus
accidere videmus, ait Serapion,
qui caloris ignem non sentiunt, ni-
si cum iam semiustulati ab eo di-
scedunt. Oculi Dei, intelligentia
illius sunt, prouidentia sunt, sa-
pientia sunt, qui omnia vident,
omnia sciunt, omnia considerant
vt præsentia. Porrò quemadmo-
dum ducis oculos corpori natura
indi-

*S. Aug.
lib. 14. de
ciu. c. 7.
lib. 1. de
Gen. ad
literam.*

*Oculi
Dei.*

*Duo In-
tellectus
oculi.*

indidit, ita quoque intellectus duplicem consecutus est, intelligentiam videlicet, & rationem: intelligentiam dicimus, quando ingenio veritatem alicuius rei perfectè ac simpliciter consequimur, ut cum virtutem laude dignam esse perspicimus: rationem appellamus, quando per causas & discursus quippiam cognoscimus, ut Deum unicuique præmia condigna redditurum, quia videlicet iustus est. Item quemadmodum ingenia in facultate & intelligendi modo variant, ita oculi visu ipso sæpenumero inter se dissimiles sunt & distinguuntur. Nonnullorum ita affecti sunt, tunc ut tantum videant, cum Sol splendet, nihil è contra prorsus, cum aura turbulenta est, aut Sol nocti concessit. Alij hebetem aciem interdum experiuntur, acerrimam vero cum nox, cum tenebræ ingruerunt. Narrat de Tiberio Plinius, quod cum aliquando noctu à somno expergeret, haud aliter quam in meridie omnia eum videre

*Varietas
Intellectu
oculorū.
Plin. lib.
21. c. 37.*

*Plin. lib.
11. c. 37.*

dere & agnoscere potuisse. Sunt & alij, qui quantumuis longè à re quāpiam constituti accuratissimè eam vident ac intuentur, nonnulli etiam nihil nisi cominus dispicere, nihil nisi iuxta se positum & velut in ipsos ingestum oculos valent contemplari. Author est idem qui ante C. Plinius, Neronem nisi cum conuiueret ad propè admota, oculos hebetes admodum caligantesque habuisse. Quidam rectè in obiectum feruntur, obliquè quidam & nō nisi transuersi. At videamus nunc quomodo eadem hæc in Intellectus oculis varietas reperiatur, & videndi diuersitas in animo non absimilis elucescat. Videas tu nonnullos adeo acris, adeo acuti, & elegantis esse ingenij, nihil vt non acie sua penetrent, mente percipiant, intellectu assequantur. Videas alios adeo obtusos & hebetes, vt non nisi luce meridiana clariora agnoscant, & vbi quippiam nebulosum ac tenebrosum difficultas aliqua inuexerit, caligare eos repente videas sudare, anxie circum-

cumspicere, & non aliter quam
 pix solet, dissolui, liquefieri, &
 in calidos cineres destillare: quæ
 admodum prærogatiua ijs propria
 esse solet, qui tardi, qui stupidi,
 qui agrestes sunt. His genus quod *Ingenia:*
 dam peius longè est, eorum videli- *peffima,*
 cèt, quos in tenebris acerrimè tu- *caca in-*
 èntes Lynces, interdiu talpas cæ- *terdiu,*
 citate superare sexagenario iura- *noctu vi-*
 mento affirmares. Atque hæc re- *su nõ ex-*
 uera ingenia illa sunt, naturæ con- *perta.*
 traria, quæ videndi sensu maxi-
 mè valent, cum vitia penetranda
 sunt, cum modus ea designandi in-
 dagandus, cum versura quæpiam
 inuenienda, imponendum vecti-
 gal, excogitandæ vsuræ, cædes in-
 tentandæ, adulteria committen-
 da, furta perpetranda, turbæ dan-
 dæ, tumultus excitandi, hæreses
 profeminandæ, insidiæ collocan-
 dæ, & eorum aliquid obeundum
 est, quod tenebræ cælant, nox te-
 git, caligo inuoluit: tunc illi Epi-
 daurij sunt, tunc Lynces, tunc vlu-
 læ: at cum Sol iustitiæ, Deus cum
 illius bonitas, iudicium, virtus,

*Ingenia
prudentia.*

*Bona In-
genia
qua sint.*

pœnitentia, ac vita æterna contemplanda est, tum illi in tanta claritate & luce meridiana, nihil vident, nihil agnoscunt, nihil apprehendunt. Affines istis sunt, qui non nisi quæ sub aspectum cadunt intuentur, & velut trabali clauo terræ & fugacibus illius bonis affixi, nunquam ad futura animum referunt, nunquam quæ impendent considerant, nunquam Mortem, nunquam Iudicium, Paradisum aut Inferorum sedes contemplantur. Iam qui suis rebus bene consulunt, animo ventura prospiciunt, virtutibus se instruunt, quo accuratè ad mortem accingantur, & tuti aliquando Dei conspectui repræsententur, isti denique sunt in quibus nec ingenij acumen desideres, nec oculorum aciem culpes ac reprehendas. Hostu non vt priores illos obliquè & transfuersè bona intueri, sed omnia rectè cernere videas ac contemplari. Et agnoscis tu iam credo diuina illa lineamenta, & imaginem intellectus venustissimam, quam

quam Deus in corporis oculis depinxit ac formavit: & quotiescunque proximi nostri vultum contuemur, occasionem habere cælestis illius bonitatis & peritissimi artificis opus pulcherrimum collaudandi ac prædicandi.

In facie voluntatem, secundam animæ facultatem elucere. De vi sermonis.

COLLOQVIUM LI.

INSPICIAMVS nunc etiam **THEO.**
 neamenta illa, quæ cælestis ille pictor, in pulcherrima facie imagine nequaquam sibimittenda esse duxit, voluntatis videlicet, quæ secunda animæ facultas est, & quasi alter color floridissimæ nostræ picturæ. Meministi tu scio fuisse cum dicerem voluntatem animæ vim ac neruum esse, libertatem animæ, honorem animæ, dedecus demum animæ ac vituperiū manifestum: ea nūc omnia ita denuo consideranda sunt, ut ori inesse sigillatim ostendamus. Hæc ergo Domina illa est, quæ non

*Voluntas
origo me-
ritorum.*